

1484 lanus fuit. Is quum leve vulnus accepisset, quia præter spem omnium sequenti nocte expiravit, veneno sublatus creditur. Qui ad Obscurum Lacum erant (ita enim inter eos & Himulanum convenerat, ut hostium oculos a Stellatina oppugnatione averterent) Ferrariam, qua proximum fuit, adequitantes, nobilissimum cœnobium Cartusinæ professionis diripiunt, direptumque, subiecto igni, aliqua ex parte incendunt. Joannes Hemus, qui in illis castris legatus erat, audita Stellatinæ arcis expugnatione, dum suis auxilio exire properat, gestitque præ nimia læticia, quasi arce illa capta, brevi cum hoste ea parte debellatum esset, pervicacissimo equo præceps effusus, paucis diebus homo ingentis animi expiravit. Ejus loco Jacobus, cognomento Medius, in castra legatus venit: qui gravitate cæli pressus, quum in gravem morbum incidisset, Venetiasque delatus esset, non multo post & ipse vita decessit. Novissime Franciscus Thronus, vir florenti ingenio & ætate, in eadem castra, nihilo tamen meliore fato est missus.

Dum autem hæc quæ dixi, circa Padum gerebantur, interim Alphonsus Calcinato profectus, Carpinetum occupat; inde copiis Caprianam circumactis, Mincium amnem supra Vallegium cum parte copiarum superat: hic locorum naturam contemplatus, mox ultra flumen se recepit; motis inde signis, Goidum venit, ubi, Mincio ponte superato, per Mantuanos fines ad Veronensis agri castra processit. Est Vallegium alto colle situm, Mincio amni incubans, hinc murus, interjectis turribus, per aliquot passuum millia usque ad Tartari paludes se extendit. Hoc tractu Villa Franca media planitie sedet, locus opere magis, quam natura munitus. Huc, rescisso non procul inde muro, castra Dux Aragonius admovit, arceque nonnihil tormentorum ictibus concussa, presidium triduo, postquam eo venerat, ad deditionem compulit. Hinc vero longe lateque hostis in Veronenses campos effusus, usque ad urbis mœnia omnia prædæ & terroris complexit. Missi & qui munitiora loca circuissent: hi modico negocio

*Alphonsus
Mincium
superat.*